

Quartam duxit uxorem Elizabeth nomen habens de ducatu Pomeranie et Stetinensi, de qua genuit etc. Sigismundum regem Ungarie et nunc regem Romanorum iam multis annis, prout infra, ac Johannem ducem Jorlicensem. Et predictus imperator Karolus de omnibus filiis suis et filiabus numquam habuit nepotem vel neptem, sed omnes filii et filie ipsius steriles manserunt et sine prole decesserunt. Hic Karolus astutissimus fuit et sapiens, multis vicibus ad papam venit ad Avinionem et eciam ad Romam ad cardinales, ubi eciam coronatus fuit per quatuor cardinales ibidem propter hoc missos. Et Karolus in magna multitudine populorum intravit, (Italiam *scheint zu ergänzen*), ut Mediolanum debellaret, sed minime profecit (*hs.: fecit*), quia facta expedit et pecunias a Mediolanensibus recepit.

Et tandem ipse Karolus ad papam (*hs. s. zu et*) in Roma existentem circa annos domini 1348. iterum venit et ibidem \*f. 237'. coronam imperialem ab eodem \*Urbano quinto recepit cum Elizabeth imperatrice supradicta<sup>1)</sup>. Hic Karolus libenter filium suum Wentzeslaum subscriptum adhuc puerum in regem Romanorum habuisset, sed (*fehlt hs.*) non potuit. Sed tandem electoribus per munera victis, ipsum Wentzeslaum in regem elegerunt Franckfurdie anno domini 1375, et sic per consequens ubique per totum ut rex Romanorum est admissus usque ad suam deposicionem. Sed Gregorius papa eundem Wentzeslaum nullo modo confirmare voluit, quia consideravit puerum et electionem symoniacam. Propter quod imperator non bene stetit contentus de papa. Quo papa mortuo, Karolus audiens scisma ecclesie, letatus est, dicens: 'Nunc filius noster coronabitur'. Et factum est ita. Nam ambo pape confirmationes ad Pragam miserunt non petiti. Et per amplius Karolus in Praga quietus mansit et ibidem obiit anno domini 1378, in vigilia Andree, ibidem in ecclesia kathedrali Pragensi sollempniter sepultus. Qui eciam Karolus multas terras sibi subiugavit, dum vixit, per astuciam suam et sapientiam plus quam armis, intervenientibus pecuniis, quia multum dives fuerat in auro et argento et in multis.

Huius Karoli tempore, videlicet anno domini 1350, fuerunt flagellatores. Et eodem anno regnavit subitanea (*hs.: subitanea*) mors, ita quod quasi tertia pars hominum interiit. Sub ipso imperatore Karolo anno domini 1355. venerunt homines tyrannides, qui vulgariter nuncupabantur 'die geselschaft', ad partes Elsie cum 12 milibus equitum et 40 milibus peditum, devastantes claustra, ecclesias, villas, opida (*hs.: opide*) prope Hagenaw usque ad solum. Quibus occurrit milicia quasi

---

1) Karl wurde 1355 zum Kaiser gekrönt.